Lane Medical Library

DE

GASTROMALACIA.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITERARIA
FRIDERICA GUILELMA
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE XVII. M. OCTOBRIS A. MDCCCXXXVIII.
H. L. Q. S.
PALAM DEFENSURUS EST
AUCTOR

OSCAR. AUGUST. LUDOV. BREDOW
POMERANUS.

OPPONENTIBUS:

A. NEHSE, MED. ET CHIR. CAND.
H. HESSE, MED. ET CHIR. CAND.
G. ACKERMANN, MED. ET CHIR. CAND.

BEROLINI,
TYPIS NIETACKIANIS.

Cujus rei non est certa notitia, ejus opinio certum reperire remedium non potest.

Celsus in praefat.

PARENTIBUS

OPTIMIS, DILECTISSIMIS

AD CINERES USQUE COLENDIS

FILII PIETAS.

INTRODUCTIO.

Gastromalacia, gastropathia, pseudophlogosis ventriculi interioris resolutiva et colliquativa, resolutio et diabrosis membranarum ventriculi, malacosis ventriculi, destructio, s. metamorphosis gelatinosa ventriculi, gastrobrosis per gastromalaciam etc. sunt nomina unius ejusdemque morbi, qui non solum medico practico, sed etiam medico forensi maximi esse debet momenti. Medico practico noster morbus eapropter summi momenti est, quod non solum crebrius occurrit, verum etiam saepenumero exitum lethalem sortitur. Haud minoris momenti morbus est medico forensi, quia nonnunquam cito vitam exstinguit et tam hanc ob rem, quam propter ventriculi destructionem veneficii suspicionem movere potest. Ut exemplum afferam, Rust in enchiridio chirurgico mentionem facit veneficii haud dubie acido arsenicoso sumto inducti, cujus originem Hunter ex solutione ventriculi in succo gastrico repetiit. Gastroma-

lacia ab auctoribus antiquioribus, Camerario, Morgagni, Cruikshank, Hunter, aliis, in sectis cadaveribus sat crebro inveniebatur, sed post mortem demum orta putabatur. Novissimis demum temporibus a Jaeger tanquam singularis species morbi, licet vivo corpore difficilis cognitu, in lucem prolata est. Ab ejus partibus steterunt Fleischmann, Laisnè, Chaussier, Cruveilhier, alii. Attamen vix ullus morbus existit, cujus de indole interna, causa et curatione medicorum sententiae tantopere discrepent, quam de illius, cujus descriptionem hic adgressuri sumus. Commentationes de morbo nostro maxime commemoratu dignae hae fere sunt:

1) Hunter on the digestion of the stomach after death. Aus den philos. transact. in den Observ. on different ports of animal oeconomy p. 226–31.
2) Allan Burns observations on the digestion of the stomach, after death in Edinburgh medic. and surgic. Journal. Vol. VI.
3) Adams on the digestion of the stomach after death in Anewer to Dr. Burns in London medic. Journal. Vol. XXIII.
4) Ailhaud in histoire et mémoires de la soc. roy. de med. 1786. p. 158.
5) W. Cruikshank. Anatomy of the absorbent vessels. 1786. p. 113. Uebers. v. Ludwig. p. 109.
6) Wilson Philip. Ueber die Gesetze des Lebens, uebers. v. Jos. v. Sontheimer. Stuttg. 1822.
7) Jaeger ueber die Erweichung des Magengrundes, oder die sogenannte Verdauung nach dem Tode in Hufelands und Himlys Journal der practischen Medizin 1811, 5 St. Mai 1813, 1 St. Jan. N. 2.

8) Cruveilhier, ueber die gallertartige Magenerweichung, aus dem franz. uebers. m. Anm. v. Vogel. Liegnitz 1823.
9) Reimann, Handbuch der speciellen medic. Pathol. u. Therapie. Wien, 1823.
10) Meckel, Handbuch der pathol. Anat. 2. Bd. 2. Abthl. p. 13. Handbuch d. menschl. Anat. 4 Bd. p. 325.
11) Rudolphi, Grundriss d. Physiologie 2. Bd. 2. Abthl. Berlin, 1828. p. 118-120.
12) Joerg, Handbuch z. Erkennen u. Heilen d. Kinderk. Leipzig, 1826.
13) J. W. Camerer, Versuche ueber die Natur d. krankh. Magenerw. M. einem Vorw. v. Autenrieth. Stuttgardt, 1828.
14) Balme in Journ. de medic. 1786. Fev. p. 216.
15) Andral in repertoire général d'anat. et de physiol. pathol. Tom. I à Paris 1826. p. 152-195.
16) Chaussier in Dict. des sciences med. Tome LX 1829. p. 328.
17) Laisné, consider. sur les érosions et perforations de l'estomac, Paris. Uebers. in neue Samml. auserles. Abhandl. f. pract. Aerzte. Leipz. Bd. IV.
18) Ségalas en noveau Journal de médec. t. VII.
19) Sandifort. Observat. anatomico - patholog. 1781. Lugduni Bat. Lib. IV. Cap. V. p. 42.
20) Ramisch, de gastromalacia et gastropathia. Prag, 1824.
21) Baumgarten, de gastro- et enteromalacia infantum.
22) Heussinger, Berichte von der anthropotomischen Austalt zu Wuerzburg. Erster Bericht 1826.
23) North in Hufeland's u. Osann's Bibliothek der pract. Heilk. 1825. p. 324.
24) Hesse ueber d. Erweich. d. verschied. Syst. d. menschl. Koerpers. 1827.
25) Rhades drei Faelle von Magenerweichung in Horns Archiv 1822. Septbr. u. Octbr.
26) Pitschaft im Rust. Magazin, 9. Band 1826. 8. St.

27) Wiessmann in Horn's Archiv 1824, Septbr. u. Octbr. N. 2.
28) Klaatsch Huf. Journ. Febr. 1822.
29) Klaproth. ebds. B. 68. 1.
30) Fleischmann, Leichenoeffnungen. Erlangen. 1815.
31) Blasius in Rust's Magazin B. XXVII, St. 3, S. 453.
32) M. ab Lenhosseck. Einige Bemerkungen ueber die Erweichung des Magens. Wien, 1823.
33) Krueger in Horn's Archiv 1824. Jan. Febr. p. 107-113.
34) Richter in Horn's Archiv, 1824. Sept. Octbr. p. 226-253.
35) Teuffel in Annal. fuer d. gesammte Heilkunde unt. Redact. d. Mitgl. d. Grossherz. Bad. Sanitaets-Commission. 2. Jahrg. 1825, 1. Heft. Pag. 199-201.
36) Toël in Horn's Archiv, 1824. Mai, Juni. Pag. 478-483.
37) Pommer in Heidelberg. klinisch. Annal. 2. Bd., 2. Hft. S. 209. Heidelberg, 1826.
38) Wittmann in med. Jahrbuech. d. k. k. oester. Staats. Neue Folge Bd. I. St. 4. Wien, 1823. p. 531-539.

Dissertationes quoque inaugurales a Zeller, Beckhaus, Goedeke, Muskat, Laurent et Zoernig maxima cum diligentia scriptae sunt.

MORBI SYMPTOMATA ET DECURSUS.

Gastromalacia infantes plerumque afficit, qui secundum vitae annum nondum superaverunt. Jaeger morbum apud infantes a quarto vitae mense usque ad annum et dimidium tantummodo observavit. Secundum alios auctores (Vogel) adultis quoque supervenit; auctore Cruveilhier imprimis infantes tempore dentitionis plerumque cum cerebri pectorisque affectionibus et peritonitide occurrit. Morbus tam sporadicus quam epidemicus existit; epidemiae observatae sunt temporibus, quibus febres intermittentes et diarrhoea grassabantur. Licet a variis auctoribus varia symptomata sunt descripta, tamen nonnulla ab omnibus in medium proferuntur, quae nunquam desiderantur. Jaeger, qui hujus morbi primus mentionem fecit, acutum et chronicum decursum observavit.

Decursus acutus. Nonnulli infantes, hoc morbo correpti, celeriter sine ullis prodromis ciborum appetentiam subito amiserunt, manus frigidas praebuerunt; pulsus valde acceleratus, sitis ingens, inquies maxima et sensus doloris adfuerunt; aegroti

clamorem ediderunt, retractis ad abdomen pedibus. Facies mox pallida et in deterius mutata apparuit, oculi collapsi. Clamorem excepit anhelans sonus, quem status comatosus secutus est, ex quo facile expergefieri potuerunt. Hoc in statu versabantur infantes per 18—24 horas, tum inciderunt in convulsiones, oculorum contorsionem, cutis evasit et mors intravit sub vomitu vehementissimo. In aliis casibus practer symptomata commemorata illico cum febri diarrhoea frequentissima aquosa, viridescens irruebat et vomitus iterum iterumque rediens, rebus scilicet quibuscunque devoratis denuo evocatus. Post breve intervallum, quo infans oculis clausis defessus decubuit, repetiti sunt paroxysmi. Post biduum diarrhoea cessit, durante vero vomitu, lactis frusta coagulata eructabantur. Dein cutis manuum et faciei intense pallidum colorem induit, pulsus irregularis, parvus, vix numerabilis, redditus est. Brevi tempore infans iterum calidior et placidior evasit. Oculis clausis decubuit, mentis impos, ita ut presso abdomine parvo mollique doloris indicia ederet. Quarto morbi die infans mortuus est. In aliis casibus decursum morbi quatuor dierum, descripto simillimum, prodromi 10 — 14 dierum antecedebant, cum dejectione frequente excrementorum mucosorum viridium, manibus calentibus, appetentia ciborum minuta et vomitu interdum repetito, abdomine tenso et sensibili.

Decursus chronicus. Hoc in casu morbus etiam appetitu deficiente, febri, diarrhoea incepit, qua massa pultaceorum et viridium excrementorum dejiciebatur, cibis assumtis non congrua. Tussis morbum comitatur, conjuncta plerumque cum vomituritione vehementi, quam vomitus sequitur. Serius

tussis desinit persistente diarrhoea et vomitu. Postremo faciei mutata forma, inquies cum clamore, vagitus et anhelitus cum summa prostratione virium et motibus convulsivis accedunt. Pulsus sensim frangitur et jam duos ante mortem dies innumerabilis redditur, cutis postremo marmorea et infans exhaustus atque macilentus diem obit supremum.

Haud minus secundum Vogel, qui gastromalaciam quoque in adultis se observasse, contendit, morbus aut decursum chronicum, qui per plures hebdomades protrahi potest, aut acutum, qui jam intra 24 horas nonnunquam interficit, emetitur. Quo auctore morbi symptomata iis hydrocephali acuti haud dissimilia sunt. — Cruveilhier, qui morbum quoque diligentissime descripsit, duo stadia distinguit. Primum non febrile 1 — 2 — 4 hebdomades persistere potest et cognoscitur diarrhoea, pallore, tussi, emaciatione. Infans inquietus, morosus, matris mammam concupiscit et siti ardente cruciatur, potum flagitat vinum aut acida continentem. Quemcunque cibum alium repudiat, evidenter macrescit et cutis rugosam et pallidam speciem induit. In secunda periodo, quae 2 — 14 dies continere potest, vomitus frequens et diarrhoea oriuntur. Excrementa dejecta graminis colorem praebent, foetent et cibi non digesti distinguuntur. Tussis mox intrans cum vomituritione et vomitu est conjuncta, subsequente animi deliquio. Mentis facultates simul auctae, infans ipse morosus et dysphoriae obnoxius, omnia ei sunt ingrata. Membra pendent lassa et aegre moventur. Postremo sopor intrat, mortuo similis infans decumbit, oculi patent immobiles, et diem extremum inducit suffocatio.

Teuffel, qui morbi decursum eodem modo di-

vidit, paulo ante mortem in facie volari manuum et in genis maculas purpureas calentes oriri, refert Wiessmann symptomata similia quam Jaeger describit, attamen adjicit, aphthas oriri, substantias vomitu editas acidam reactionem praebere et mortem placidam cum sopore accedere.

Quas Rhades apposuit observationes discrepant a prioribus. In duobus casibus nulla symptomata affectionis abdominalis et gastricae, nec vomitus, nec diarrhoea, intraverunt; in altero enim symptomata hydrocephalica adfuerunt, in altero morbus pulmonum affectione incepit. In utroque casn sub convulsionibus mors intravit. In tertio casu, quem describit, morbus a diarrhoea ordiebatur, quam mox vomitus modicus secutus est. Postremo tussis vehemens cum siti ingente intravit, et vomitum vehementem mors secuta est.

Richter decursum Gastromalaciae simili modo describit, quam Jaeger. Auctore Pitschaft praeter symptomata commemorata: frigus, pallorem, morositatem, anorexiam, sitim ingentem, vomitum, diarrhoeam viridem, coma quoque intrat, ex quo infans facile expergefieri potest. Eodem auctore conscientia usque ad mortem servatur, quod multum prodest ad Gastromalaciam dignoscendam ab Hydrocephalo acuto. Urinae quoque minorem copiam reddi, observavit, et morbum derivat ab evolutione praematura.

Gastromalacia si adultos corripit plerumque melaenae signa ostendit, aut cum cerebri affectionibus conjuncta apparet. Ita Jaeger in sene, quem pneumonia typhosa, paroxysmis per longum tempus durantibus, exstinxerat, ventriculum, licet paucis in lo-

cis, simili modo quam apud infantes, emollitum invenit.

Meditantes iterum symptomata pathognomonica, morbum imprimis pueros usque ad secundum aetatis annum, maxime dentitionis tempore, saepe cum affectionibus pectoris et cerebri, corripere videmus. Semper morbus a defectu appetentiae orditur. Diarrhoea aut diuturnior aut brevior cum evacuatione substantiarum relative copiosissimarum viridium, sitis vehemens, tussis, vomituritiones, cum subsequente vomitu, symptomata praecipua sunt.

Facies pallorem obtinet, collabitur, morbum gravem indigitat, oculi collabuntur, et concupiscentiam exprimunt. In plerisque casibus febris cum pulsu frequente, intermittente oritur, initio cum calore, quem excipit frigus, postremo algor intrat. Infantes morosi, pedes versus abdomen retrahunt et clamorem edunt. Postea clamor in ejulatum et dolorificum anhelitum transit, coma accedit, ex quo tactu levissimo expergefiunt. Conscientia servatur usque ad mortis momentum. Mors aut convulsivo vomitu aut sensim viribus exhaustis inducitur. Morbus si ad sanationem vergit, vomitus et diarrhoea minuuntur, morositas et inquies sensim in alacriorem statum mutantur, vires lente restituuntur, et convalescentia longum emetitur spatium. Hic eventus contingere nequit, nisi morbus recens sit exiguumque ventriculi locum teneat.

SECTIO CADAVERUM.

In cadaveribus gastromalacia exstinctorum valde emaciatis cutis flaccida, rugosa, musculi languidi, pallidi, vasa sanguifera vacua inveniuntur. Ventri-

culus aut expansus talibus materiis, quales evom' solent, aut perforatus; si perforatus est ventriculus, ejus contenta aut in pectoris, aut in abdominis cavum effusa reperiuntur. Praevalet acidum quoddam secundum Jaeger et in tunicis ventriculi emollitis et in ejus contentis. Odor enim iis est lacti similis coagulato, et succi plantarum caerulei rubefiunt iisdem. Quod acidum, in sana quoque ventriculi parte et in collo repertum, acidum aceticum esse, Jaeger experientia ampla demonstravit. Alii quidem ventriculi contenta mucosa, pinguia, saponi similia, saporis fatui, odoris aut nullius, aut ejusdem ac Moschi, esse contenderunt, sed quum plerique acidum praevalens repererint, equidem illas variationes medicamentorum effectu ortas crediderim.

Ventriculus ipse, ubi nondum perforatus est, praesertim ea parte, qua cum liene cohaeret, externe colore cinereo, vel rubello, vel sordido insignis est atque pellucidus, quum nil nisi tegumentum peritonaei supersit, idemque ita exiguum, ut vel levissimo tactu diruatur. Qua de causa, quousque ventriculus perforatus sit, difficile est definitu. Si in aquam immergitur ventriculus gastromalacia perforatus, margines foraminis inaequales in fimbrias exeunt, quae floccorum instar in fluido natant. Corripitur autem hoc morbo maxime fundus ventriculi, eaque ejusdem pars, quae ad lienem spectat. Quibus in locis ventriculi aperti tunicae internae in mollem et mucosam gelatinam, coloris grisei, spongia facile abstergendam, solutae conspiciuntur. Mollities prope locum perforatum maxima, abhinc sensim minuitur, in extrema parte aut sola tunica mucosa emollita, vel tumidiuscula tantum, aut tunicae nihil mutatae sunt.

Secundum Ramisch mollities ipsa tres gradus ostendit. In primo ventriculi tunicae integrae, saepe debito molliores, aut tenuiores, aut tumidiores, saepe eandem, quam statu sano crassitiem exhibentes, facile discindi possunt. Morbus in hoc casu plus minusve per totum ventriculum extensus est, crebro vero parva loca tenet. In gradu secundo tunicae in mollem gelatinosam, fere pellucidam, solutae sunt massam, quae digitis facillime deleri, aqua abluta solvi et spongia abstergi potest. Contextus peritonaeo tantum servatur, quod vero non minus plerumque integritatem adeo perdit, ut minima vi discerpatur. In gradu tertio substantia adeo mollis et omnes tunicae tantopere corruptae sunt, ut dissolutae fere diffluant et perforatio in conspectum veniat.

Inflammationis signa in locis ventriculi morbo correptis raro adsunt, Jaeger tamen hoc observavit. In uno ventriculo totus foraminis circuitus colore rubro tinctus erat, in altero sola tunica nervea sub emollita, et tumefacta mucosa rubebat, in tertio integumeotum serosum paullulum erat rubefactum. Aliae striae adsunt rubellae pergentes inde a loco perforato ad cardiam et oesophagum. Mollities vero non solum in ventriculo, sed etiam in aliis tractus intestinalis partibus sedem habet. Saepius enim et Ileum Colonque eodem modo, quo ventriculus, emollita et perforata sunt. Imo oesophagus medio in pectore morbo magis chronico reperiebatur destructus, simul pulmonis partes vicinae emollitae erant, cardia integra; in sacco coeco vero destructio denuo incepit. Adjacentes quoqe ventriculo partes saepe emollitae sunt. Inveniuntur enim interdum

maculae lividae, vel caeruleae in diaphragmate et integumentis abdominis anterioribus.

Cruveilhier persaepe exanthema quoddam, confluentibus variolis simile, invenit in facie ventriculi interna, nec non mollitiem in intestinis tenuibus et crassis, maxime in colo. Imo tractum intestinorum totum inde a fundo ventriculi usque ad rectum Burns quater vidit mutatum in massam mucosam, pellucidam, mucilagini ex amylo paratae similem. Analogos casus Sandifort observavit.

Lien plerumque normalis est, raro mollitie corripitur. Glandulae meseraicae ut plurimum inflammatae, rubellae, duriusculae, amplificatae. Hepar plerumque debito majus offert volumen, plenum est sanguine, interdum vero siccum, flaccidum.

Vesicula fellea bile viridi impleta, saepius vero vesicula et ductus biliferi continent fluidum aquosum, cui puncta alba innatant. Pulmones plerumpue integri, sin vero gastromalacia affectionibus pectoris stipabatur, vario modo degenerati sunt. Tunc enim saepe concreti inveniuntur cum pleura, saepius emolliti, alias indurati et passim degenerati. Vomicae quoque et tubercula in iis observantur.

Neque non cerebrum afficitur. Cranio enim recluso, saepe extravasati serosi magna copia, hic illic paulo sordidi, sub arachnoidea invenitur. Piae duraeque matris vasa, eorumque sinus plerumque sanguine turgent, ventriculi cerebri extensi sunt magna aquae copia. Substantia vero cerebri raro mutata, modo in basi interdum durior invenitur. Substantia medullaris saepius tota rubella, substantia corticalis violacei coloris est.

AETIOLOGIA.

Quum gastromalacia praecipue infantes, eosque aetatis tenerrimae corripat, aetas infantilis maxime ad hunc morbum opportuna videtur. Respicientibus nobis stadia evolutionis, quae infans percurrit, facile elucet, cur tempore dentitionis infantes ad morbos assimilationis maxime proni sint. Quamdiu foetus adhuc utero inclusus est, tantum modo in matre et per eam vivit, per eam enim sanguis mutatur, per eam nutritur. Ubi in lucem editus est, organa ejus respiratoria, quibus cutis externa quoque adnumeranda est, aëri submittuntur, cum matre adhuc conjunctus est intimo vinculo, fovetur enim sinu matris non solum, verum etiam nonnisi per eam nutritur. Tum demum, cum lacte matris haud amplius nutritur et injuriis macrocosmi committitur, cibum ipsi sibi parare, quem antea a matre accepit, coactus est. Quod ut rite procedat, necesse est, organa concoctionis et succi ita mutentur, ut nutrimenta in se suscipiant ,quae antea in succum et sanguinem converti haud poterant. Quare non solum organa masticationis, maxilla inferiore amplificata et evolutione dentium, magis excolantur, necesse est, sed etiam tractus intestinorum et succi, qui ad concoctionem aliquid conferunt, longe mutari debent. Succi digestivi acriores et apti fieri debent ad majorem vim exercendam, quare acidum in saliva, in succo gastrico et enterico praevalet. Quod si nimium fit, id quod vel a nutrimentis dyspeptis, vel a nervi vagi influxu derivandum est, facile evenire potest, ut peculiari vi biochemica ventriculus adhuc tener in massam gelatinosam mutetur, imo etiam perforetur. Experimentis quoque demon-

stratum est, acidis vim inesse, substantias animales commutandi in massam gelatinosam. Jaeger multis exemplis circa ventriculos sanos institutis probavit, acidum aceticum efficere posse peculiarem hanc emollitionem. Neque minus Camerer emollitionem artificialem ita effecit, ut cuniculi nervo vago utriusque lateris persecto, acidum aceticum in ventriculum ingereret. Tartra casum narravit, in quo, ventriculo per acidum nitricum infecto, emollitio similis gelatinosa orta est. Aliud exemplar emollitionis ventriculi artificialis Wagner pro benignitate sua in scholis clinicis mihi monstravit et rationem in medium protulit, qua inducta fuerit. Ventriculum enim infantis acido muriatico diluto complevit, et nonnullis diebus interpositis, non solum totus ventriculus simili modo ac in gastromalacia emollitus, sed etiam fundus ventriculi in regione sacci perforatus fuit. Foramen hac ratione exortum eandem speciem praebuit, quam in gastromalacia. In margine flocculi sub aqua nataverunt, et ab illo emollitio originem duxit, inde vero paullatim evanuit. Quum igitur acida ventriculum in massam gelatinosam commutare queant, et Jaeger experimentis innumeris acidum praevalens tam in ventriculi contentis, quam in membranis ventriculi infantium hoc morbo peremtorum invenerit, causa proxima in praevalente acido succi gastrici ponenda esse videtur. Ex quibus elucet, gastromalaciam in morboso sui generis processu praevalente aciditate succi gastrici provocato cerni, quo biochemica ratione parietes ventriculi in massam gelatinosam solvi, imo etiam in nonnullis locis perforari possint. Quam sententiam etiam Wagner in scholis clinicis et plurimi recentiorum auctorum in

scriptis suis de hoc morbo defenderunt. Alii scrutatores, praesertim antiquiores, alias gastromalaciae causas proposuerunt, de quibus hic aliqua dicere mihi liceat.

Hunter primus de autopepsia ventriculi loquitur. Ventriculum post mortem succo gastrico, ait, emolliri, perforari, et quidem materiem solventem in vivo formari, dissolutionem ipsam in mortuo fieri; succum gastricum, ex superficie ventriculi interna secretum, vi restaurante exstincta, ventriculum eodem modo consumere, quo per vitam cibos solvat. Praecipue in hominibus subito et violenter peremtis et in piscibus hoc observans, raro in cadaveribus ventriculum, cujus tunica villosa in fundo magis minusve lacerata non sit, reperiri contendit. In Hunteri sententiam abeunt Allan Burns, Adams, Wilson Philip, quibus Treviranus assentiens: „Succus gastricus, inquit, cujus efficacia post mortem perdurat, in cadaveribus nonnunquam, quibus collectus est locis, ventriculum corripit, eoque perforato intestina finitima.“ Hunteri opinio vehementissime impugnata est.

Spallanzani, Hunteri observationibus motus, in ventriculo animalium multorum temporibus variis post mortem sectorum, quamquam experimenta animalium ventriculum cibos post mortem quoque digerere docebant, nunquam perforationem reperit. Etiam Lenhosseck contendit, se in omnibus extispiciis hominum, diversissimis morbis aut subito exstinctorum, diligentissime tunicis ventriculi exploratis, nunquam illam mutationem animadvertisse, quod idem multi medici forenses affirmant. Soemmering ventriculos sanos et haud mutatos in iis tan-

tum hominibus, qui subito et violenter periissent, se reperisse fatetur.

Contra Hunteri opinionem id quoque pugnare videtur, quod partes, in quas succus gastricus vim exserere non potest, nihilominus emolliuntur, exempli gratia oesophagus, multae intestinorum tenuium crassorumque partes, et quod dissolutio totius tractus intestinalis a cardia usque ad intestinum rectum inventa est.

Etiam Rhades illam reprehendit, quia multae partes ventriculi jam in superficie externa emollitae erant, quin superficies interna hujus emollitionis particeps esset. Nostro tempore opinio Hunteri plane relicta, probatumque est, morbum, qui symptomatibus singularibus distinctus, illam ventriculi emollitionem gignere possit, existere. Qua re opiniones, quas Gaedike, Rudolphi, Heussinger proposuerunt, refutantur, quippe qui contenderint, gastromalaciam nil nisi putredinem esse, cujus initium ponendum sit in fermentatione acida, quam dissolutio sequatur.

Jaeger primus statum morbosum explicare studens, hanc sententiam in medium profert: morbum, ait, praecedere, qui nervorum perturbato influxu mutet intestinorum secretiones et reactionem in contenta, e quibus nimia acidi copia formetur; hanc abundantiam morbi, de quo agitur, seminium spargere, unde in dissolutionem gelatinosam abeat. Porro suspicatur, gastromalaciam forsan ab hydrocephalo pendere. Diligentius inquirens in substantiam, quae sotutionis processum administret, nullum liquorem ventriculo proprium esse, quo fiat emollitio, putat, quum, hoc integro et intestinis tenuibus non mutatis, sin-

gulares intestinorum crassorum partes ad metamorphosin progressas observaverit. Verumenimvero arbitratur, non in omnibus casibus liquorem secretum et externe partes solidas tangentem, sed saepe quasi in ipsa membranarum substantia inclusum, vim inimicam et solventem exserere. E factis experimentis acidum aceticum cognovit.

Rhades et Fleischmann quoque vitam membranarum ventriculi alienatam, nimiamque succi gastrici aciditatem subesse putant, quam vero ex morbosa lienis affectione oriri, Fleischmann censet, actione nervi vagi et sympathici illam produci, Rhades contendit.

Richter et Cruikshank putant, emollitionem esse reditum membranarum ventriculi ad formationis gradum pristinum eumque inferiorem, aequilibrio inter formationem et resorptionem turbato, ita ut vis formandi superetur vi resorbendi.

Meckel dicit, digestionem membranarum ventriculi per succum gastricum esse sequelam debilitatis ventriculi, ex systematis nervorum depravatione et nimia aciditate succi gastrici, in acidum aceticum commutati, quae semper post mortem oriatur et paulatim extendatur.

Hoffmann nimis acrem bilem pro causa habet, quod vero a reliquis auctoribus negatur.

Lenhosseck ex affectione cerebri ventriculum per sympathiam aegrotare suspicatur, ita ut partim vi humorum solventi non amplius possit resistere, partim ipsi humores acriores et corrodentes fiant.

Camerer plus minus iis adsentitur, quae Jaeger dixerat. Experimenta de re nostra instituit gravissima, quibus liquet, succum gastricum in ga-

stromalacia vim solventem habere, quum eas solvat partes, quas ventriculo perforato tetigerit: in integrum ventriculum effusus hunc celerius, quam sanus, in gelatinam mutet. Quum acidum muriaticum et aceticum in ventriculo inveniantur, Camerer observavit, acidum aceticum mollitiei occasionem dare, nam aliam partem humani ventriculi quum acido muriatico, aliam acetico superfudisset, hanc omnes mutationes in gastromalacia inventas praebere vidit.

Sundelin produci morbum contendit efficacia anomala biochemica nervi vagi, cujus vegetatio mutata, vel tantum vita sit turbata, in ventriculum, quoniam praecipue metastases et eruptio impedita miliarium, aut metastases rheumaticae, dyscrasiae et cachexiae, causam praebeant.

Ailhaud et Balme causam proximam pro dissolutione membranarum per fluidum ichorosum et putridum habuerunt et in humorum morbo posuerunt.

Chaussier et Laisné erosionem et ulcerationem causam proximam esse existimant.

Andral recentioribus temporibus gastromalaciae naturam esse inflammatoriam docet, quae symptomatibus, decursu, causa, curatione, sectione demonstretur.

Billard et Hesse ei adsentiuntur, dicentes, exitum gastritidis acutae, si malum magnum ambitum habeat,chronicae, si parvum, morbum nostrum esse.

Teuffel denique haec dicit: Systema nervorum morbo afficitur, qui eorum vim et minuit et alienat, quo processu digestio turbatur; succus gastricus et bilis vitiosa secernuntur acidumque in succo gastrico adeo praevalet, ut non tantum toti reproductioni detrimentum afferatur, sed etiam ventriculi substantia erosa solvatur.

DIAGNOSIS.

Quum complures morbi existant, qui in decursu multum habent similitudinis cum gastromalacia, hic morbos gastromalaciae similes commemorare et inter se discernere liceat, ne gravius malum pro leviori habeatur.

Primum gastromalacia cum hydrocephalo acuto facile confundi potest, itaque symptomata, quae utrumque morbum distinguunt, gravissima memorabo. In hydrocephalo alvus collapsa, mollis, pertinaciter adstricta est, quam ne remedia evacuantia quidem solvere possunt; demum sub finem vitae fluxus alvi paralytici oriuntur. Vomitus quoque adest, minuitur, si infans locum tenet, augetur, si attollitur et gestatur, in stadio tertio cessat. Aegrotus hydrocephalo laborans nil fluidi desiderat. Sopor, ex quo infans nec concutiendo nec nomen appellando excitari potest, huic morbo superveniens, plerumque sine intermissione tenet, accrescit, conscientia magis magisque turbata. Urina aurea sedimentum format album. A quibus symptomatibus differunt gastromalaciae signa: Diarrhoeae pertinaces, ingesta per os reddita peculiarem praebent indolem; vomitus lenitur, si infantes circumferuntur, coma, ex quo strepitu lenissimo excitantur, conscientia plerumque integra est, sitis maxima.

Deinde morbus noster cum gastritide acuta confundi potest. Durities, tumor, tensio regionis epigastricae, dolor acutissimus in hac regione, febris inflammatoria, sunt symptomata, quae semper in gastritide adsunt, in gastromalacia autem non observantur. Vomitus quidem in gastritide aeque ac in gastromalacia adest, sed massae, quae ejiciuntur,

valde inter se discrepant, denique eo uterque morbus dignosci potest, quod in gastritide diarrhoea deficit, quae in nostro morbo cum excretione viridium faecum exstat.

Helminthiasis quoque nonnulla symptomata praebet, quae signis gastromalaciae similia sunt, attamen vermes intestinales unquam tam graves organismi mutationes, quae in gastromalacia observantur, procreare posse diffiteor. Symptomata, quae et ad helminthiasin et ad gastromalaciam pertinent, crebriores diarrhoeae, facies pallida, febris, affectus nervosi, spasmi, convulsiones sunt. In vermitione haec symptomata non, ut in gastromalacia, continua, sed plerumque periodica et mitiora sunt, vires minus prostratae, facies non collapsa, nec morositas, nec sitis tanta. Infantes, qui vermibus intestinalibus detinentur, intervalla offerunt, in quibus omnino sani sunt, cum appetentia cibos edunt, hilares ludunt, et omnes corporis functiones sine turbatione peragunt. In helminthiasi cibi magis minusve digeruntur, in gastromalacia autem faeces virides et cibi fere crudi sunt. Convulsiones leviores et spasmi in vermitione quidem saepe observantur, minime vero sopor et agrypnocoma.

Cum diarrhoea simplici mucosa denique noster morbus forsan confundi poterit, sed symptomata diarrhoeae multo leviora sunt, quam ea, quae ad gastromalaciam pertinent. Fere sola diarrhoea utrique morbo communis est, attamen haec jam eo differt, quod faeces excretae in gastromalacia virides, in diarrhoea simplici catarrhali autem mucosae et albidae sunt. Cetera symptomata, quae in gastromalacia pro pathognomonicis haberi debent, macies in-

gens, vomitus, pallor cutis, sopor etc. in diarrhoea plane desiderantur.

PROGNOSIS.

Prognosis in universo pessima est, quod morbi diagnosis initio, quo tempore sanatio fieri potest, difficillima est, et si morbus progressus majores fecit, sanari non amplius potest. Inter primos aetatis infantilis menses prognosis pejor, quam post primum vitae annum, quia morbus priori in casu decursum rapidissimum absolvere solet. Si autem morbus infantes, annum et quod excurrit natos, corripit, plus minusve chronicum habet decursum et si initio dignoscitur, sanatio contingere potest. Sin jam destructio et diabrosis ventriculi adsunt, id quod ex celeri virium consumtione, ex raro, debili et intermittente pulsu, corporis collapsu, frigore et pallore extremitatum et faciei, ex sopore cet. ratiocinari possumus, exitus lethalis est inevitabilis. Mors aut placida ex debilitate, aut cum vomitu convulsivo violenta irruit. Morbus etiam cum aliis morbis, cum hydrocephalo acuto, cum pneumonia, complicatus eo magis vitam in discrimen vocat. Ad sanitatem morbus redit, si haec symptomata apparent: vomitus rarior nec una quaque alimentorum assumtione provocatus, faeces sensim alio colore imbutae, neque tam crebro et tanta quantitate excretae, febris sensim mitescens et desinens, pulsus plenior, celeritate sensim amissa. Sed in auguranda prognosi cauti simus oportet, quia, ut supra commemoravimus, morbus periodice levior fit, tum autem rapidius progreditur. Convalescentia semper valde diuturna est et singularem requirit attentionem, quia morbus facile revertitur.

THERAPIA.

Fere omnes, qui gastromalaciae decursum accu-

ratius observarunt et descripserunt, diversas de hujus morbi natura et indole opiniones profitebantur, itaque diversissimas curandi methodos proposuerunt, adhibuerunt, celebraverunt. Remedia acida, antacida amara, irritantia, aetherea narcotica, salia, metallica etc. adhibita sunt, sed plerumque sine ullo eventu, et de illis casibus, in quibus remedia bonum praestitisse effectum dicuntur, num Gastromalacia, an alius morbus adfuerit, ob dignoscendi difficultatem dubitare licet. Jaeger ipse modeste confitetur, se sanationem morbi, quotiescunque eum inter vitam infantis cognoverit, nunquam obtinuisse.

Quod primum ad indicationem prophylacticam pertinet, fere omnes auctores opinantur, idoneo infantum regimine morbum prohiberi posse. Quod ut fiat, praesertim in eligenda nutrice, quam viginti ad triginta annos natam esse omniaque sanitatis signa praebere oportet, maxima diligentia collocanda est. Si infans lactens sine causis evidentibus languescit et macrescit, nutrix non amplius adhibenda est, quippe quae lactenti conveniens nutrimentum largiri non valeat. Etiam ablactationi summam cautionem impendere debemus. Infantibus lactentibus non nimis mature, modo in raris casibus ante aetatis annum primum, neque subito, sed paullatim, mammae matris vel nutricis auferendae, et alimenta primo danda eupepta eligenda sunt. Parentes caveant, ne remedia cruda, vulgo usitatissima, in usum vocent, sed medicum consulant, praesertim si jam diarrhoea adest, omnibus catharticis et anthelminticis remediis abstineant. Si infans modo desuefactus diarrhoea et siti ardente laborat, macrescit, vel fructus tantummodo succulentos et nutrimenta aquosa appetit, haec signa ventriculi debilitati, qui cibos solidos

concoquere non amplius valet, plurimi aestimanda et statim infanti mammae reddendae sunt. Auctore Pitschaft praematura sensorii excitatio vitanda est. Quum secundum Camerer exanthemata acuta suppressa saepe causam hujus morbi praebeant, in epidemiis exanthematum acutorum praecipue in curandis infantibus caute agendum est. Cruveilhier ad morbum cavendum nutricem sanam, constitutioni infantis consentaneam, quae etiam nonnunquam temperamento parentum contrario insigniatur, commendat.

Curatio radicalis. Quod gravissima symptomata indicaverunt, ad morbum curandum adhibuerunt medici. Ad aciditatem, diarrhoeam, vomitum, virium defectum superandam, amaris, absorbentibus, antiphlogisticis, laxantibus, nervinis, alterantibus, volatilibus, Moscho, Opio, Acido carbonico, floribus Zinci etc. usi sunt, sed plerumque sine eventu. Item Jaeger symptomatice, sed frustra, vesicatoria, sinapismos, perfrictiones regionis cardiacae volatiles et spirituosas, balnea aromatica tepida ad externum usum, aërem carbonicum, alkalia, Opium et Moschum, amara, aromatica, tonica, alvum solventia quoque remedia interne adhibuit. Attamen se apud nonnullos infantes, morbo tardum decursum habente, sed magnum gradum consecuto, per mixturam, ex Tinct. Rhei aquos., Ol. Tart. p. deliq., Extr. pom. Aurant. immat., Syr. Diacod. et Aq. Foenic. compositam, decursum morbi intercepisse putat. Etiam decoctum glandium quercus tostarum laudatur, praecipue desuefacto a mammis infante.

Cruveilhier, si morbus oritur, infantibus cibos solidos subtrahi neque siti satisfieri jubet, quippe qui, illo praecepto non servato, vomitum, diarrhoeam, debilitatem, spasmos, clamorem, sitim augeri animad-

verteret. Hujus abstinentiae modus non excedendus est, vires enim ut sustententur, maximi momenti est, quin ventriculus et intestina irritentur, cui indicationi lactis usus respondet. Praeterea balnea tepida praecipit, quae tantum caloris gradum habeant, quantum infans ferre possit, aut, quod melius putat, quorum calor paullatim ita augeatur, ut sudor tandem erumpat. Initio balneis decoctum plantarum emollientium, tunc herbarum aromaticarum infusum, aut corticis Chinae decoctum addit. Balnea duo ad tria per diem, tempus, per quod in iis infans versetur, ex aetate et viribus mentiens usque ad finem morbi adhibet. Ad usum internum et externum Cruveilhier parvas Extracti Opii aquosi doses laudans, granum unum solutum in unciis duabus syrupi gummosi praescribit, et uncia dimidia ejusdem tribus aquae unciis diluta, binis horis cochlear minus offert. Teuffel opium nil prodesse, sed obesse refert.

Wiessmann opinione, quam Pemberton proposuit, quodque acidum minerale formationem acidi acetici prohibere, ductus, acida mineralia in usum vocari jubet. In uno casu Opio cum transitorio effectu usus est, tum autem, quum morbus in deterius verteretur, acidum nitricum cum eventu optimo adhibuit. Nasse primus acidum nitricum ad gastromalaciam curandam commendavit. Wiessmann usum emetici vetat, ad quem symptomata incipientis morbi facile invitare possint. — Pitschaft quietem, balnea tepida et acidum pyrolignosum laudat.

Formulam hanc apponit:

℞. Aq. flor. Aurant. ℥ji
Acidi pyrolign. ʒj
Syr. emulsiv. ℥j
MDS. Singulis horis cochlear minus praebeatur.

Teuffel contendit, acidum pyrolignosum in casibus, ubi non nimia acidi sed alkali copia formetur, emolumentum afferre, et fieri posse, ut usu illius acidi interno gastromalacia prohibeatur.

Sundelin formulam a Pitschaft praescriptam nimis irritantem et voluminosam censet et in universum methodum, quam Cruveilhier laudat, ceteris anteponit Praesertim id agit, ut quam celerrime perniciosum nervorum effectum minuat aut removeat. Opium igitur laudat non solum interne et per clysmata adhibitum, sed etiam Morphium sulphuricum eo modo, quo Margot (vide Froriep's Notizen 7. Bd. N. 6. April 1827.) in gastralgia nervosa eodem usus est. Posuit enim Empl. theriacum cum granis sex Morphii acetici in regione cardiaca. Cum frigus, pallor et collapsus faciei intret, balnea in usum vocari, sed caute adhiberi suadet, quae modo tum iteranda esse censet, cum bonum praestent effectum. Morbo cum affectionibus hydrocephalicis complicato, fomentationes capitis adhibendae sunt. Etiam consilium a Cruveilhier datum probat, lac nutricis infanti reddendum esse. Praeterea Sundelin Camphoram cum Gumm. arabico vel interne vel per clysma adhibendam proponit, eo nixus argumento, quod remedia irritantia minime vomitum provocent, et quod modicae Camphorae doses etiam in inflammatione ventriculi et tractus intestinalis hypersthenica, adhibita antea methodo antiphlogistica, optimum effectum praestent.

Rhades in casu, quo gastromalacia perspicua fuit, aquae oxymuriaticae unciam dimidiam solutam in Syrupo et aq. Foeniculi per diem cum eventu optimo adhibuit.

Pommer hanc proponit methodum: In capite frigidas, in regione cardiaca autem tepidas fomentationes, ex decocto corticis Chinae, specierum aromaticarum et vino rubro paratas, poni jubet. Ad internum usum ferrum muriaticum laudat, et quidem hac formula:

℞. Decoct. rad. Althaeae ℥ji
Gi. Mimosae ʒji
Ferri muriatici ℈ß
Syr. Althaeae ʒvi
MDS. Binis horis cochlear unum sumatur.

Camerer inflammationem nervi vagi et ex ea ortam nervorum paralysin pro causa morbi proxima habet. Contra inflammationem hirudines ad collum applicatas et infrictiones unguenti Neapolitani in collum, interne remedia antiphlogistica laudat. Contra paralysin remedia tonica, adstringentia, praecipue ferrum muriaticum, a Pommer etiam commendatum, adhiberi suadet.

Eodem modo Zeller hirudines et hydrargyrum muriaticum mite laudans, casum narrat, in quo usu horum remediorum et ferri muriatici morbum sanatum esse dicit. Plurimi vero auctores methodum antiphlogisticam nocere contendunt.

Ex symptomatibus morbi nostri elucet, non unum idemque remedium per totum morbi decursum adhibendum, sed curationem in alio morbi stadio aliam esse debere. Initio morbi, ut formationem acidi acetici in ventriculo, proximam morbi causam, prohibeamus, remedia antacida, absorbentia alkalina, pulv. aëroph., sed sine acido tartarico, quia in ventriculo sat acidi inest, cum remediis amaris, Rheo, Calamo, Quassia etc. conjuncta, requiruntur. Postea, morbo jam progresso, vomitu vehemente, urgente diarrhoea,

deficientibus viribus, frigore et pallore cutis jam exortis, illa a Jaeger cum optimo eventu adhibita compositio vires relevare, diarrhoeam et vomitum sistere valebit. Ad pallorem et frigus cutis, quod sanguinis refluxum ex systemate sanguifero peripherico indicat, submovendum, balnea tepida, aromatica, paululum irritantia, adhibenda sunt. Cum affectiones cerebri intrant, quae ad inflammationem aut ad hydrocephalum spectant, hirudines apponendas et fomentationes frigidas capiti imponendas esse censeo.

VITA.

Natus sum ego Oscarus Augustus Ludovicus Bredow, fidei evangelicae addictus, Dramburgi, Pomeraniae oppido, decimo sexto hujus saeculi anno, patre optimo dilectissimo, Ludovico, a justitiae consiliis in Dramburgiensi orbe, matre carissima Guilelma, e gente Grieben, quos laetissime valentes mihi servavit Deus optimus. Primis literarum elementis per privatos praeceptores, quos semper grato animo venerabor, imbutus duodecimo aetatis anno transacto Gymnasium, quod Stargardiae directore doct. Falbe floret, duos annos frequentavi. Quo facto Gymnasium Berolinense Friderico-Werderanum, quod tunc temporis sub directore doctissimo, humanissimo Ribbeck florebat, adii et per quadriennium optimorum atque gravissimorum praeceptorum institutione usus sum. Quibus annis elapsis, anno MDCCCXXXV studia sublimiora et quidem artem medicam et chirurgicam culturus, maturitatis testimonio munitus Gryphiam adii, ubi ab Ill. Barkow, t. t. universitatis literarum rectore magnifico, in numerum civium hujus universitatis receptus et ab Ill. Berndt, t. t. ordinis medici decano, medicinae studiosis adscriptus sum. Ab illo inde tempore audivi: Ill. Schultz de Osteologia et Syndesmologia; Ill. Stiedenroth de Psychologia, Ill. Huenefeldt de Chemia, Ill. Hornschuch de Botanice, Ill. Tillberg de Physice, Ill. Grunert de calculo inte-

grali et differentiali et de Meteorologia. Semestri elapso, universitatem Vratislaviensem adii, ubi ab Ill. Ritter, t. t. rectore magnifico, civibus academicis adscriptus et ab Ill. Henschel in numerum medicinae studiosornm receptus sum. Praeceptoribus ibi usus sum: Ill. Otto de Anatomia theoretica et practica, de Anatomia comparata et de sectionibus instituendis, Ill. Pohl de Physice, Ill. Purkinje de Pathologia generali et de Physiologia, Cel. Goeppert de Pharmacia et formulas concinnandi arte, Ill. Braniss de Logice Ill. Benedict de instrumentis chirurgicis. Annum ibi moratus Berolinum petii, ubi ab Ill. Busch, t. t. rectore magnifico, civibus academicis adscriptus et ab Ill. Wagner, ordinis medicorum decano spectabili, in album medicinae studiosorum receptus sum, quo facto hisce lectionibus interfui: Ill. Horn de Pathologia et Therapia generali et speciali et de morbis infantium, Ill. Rust de Chirurgia universa et speciali, Ill. Osann de Materia medica, Cel. Kluge de arte obstetricia theoretica et practica, de Luxationibus et Fracturis. A scholis clinicis Vir. Ill. et Cell. Wagner, Wolff, Juengken, de Graefe haud abfui.

Quibus viris maxime de me meritis summas, quas possum, gratias ago, semperque agam.— Jam vero tentaminibus et philosophico et medico, nec non examine rigoroso coram gratioso medicorum ordine rite superatis, spero fore, ut dissertatione et thesibus publice defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES.

1. Pathologia oculi oculus pathologiae.
2. Mendacium medicis concedendum esse, aliis minime, contendo.
3. Vena Portarum Porta malorum.
4. Lues venerea, semel recepta in corpus, difficulter postea deletur.
